

tali die in figura iudicii constituti, plurimorum ecclesie ministerialium tunc astancium concordii sententia dictante ac ad id applaudente, obtinuerunt legitime, *tot* personarum ydonearum iuramentis per easdem super eo, super quod dictorum ministerialium dictabat sententia, prestitis, ac etiam evicerunt, iustitia mediante, quod una cum eis in-
antea prenotati pistores in bonis prepositure residentes, dicti 'rockener', in precaria sive exactione nobis quando-
cumque solvenda contribuere teneantur et nichilominus
queque serviciorum nobis per eos quandocumque aut quo-
cienscumque exhibendorum onera supportare. In quorum *etc.*

8.

König Heinrich VII. richtet an den Abt Heinrich V.
von Fulda erste Bitten zu Gunsten seines Notars Syb(oto).
6. Januar 1309 bis 28. Juni 1312.

Oblacio primariarum precum regis pro ec-
clesiastico beneficio (fol. 108').

H(einricus) Dei gratia Romanorum rex semper augustus
venerabili H(einrico) abbati Fuldensi, principi suo dilecto,
gratiam suam et omne bonum. Licet regia nostre seren-
tatis¹ benivolencia ad promovendum et prosequendum
quoslibet sub Romano degentes² imperio benignis favoribus
teneatur esse debitor gratiosa, illius tamen promocioni
intendere et eius honores alcius extollere sincerius invi-
tamur³, qui per virtutem et obsequiorum nobis et imperio
fideliter impensorum opera se reddit nostre magnificencie
placidum et acceptum. Sane cum honestus vir magister
Sy(boto), aule nostre not(arius), per sue sollicitudinis stu-
dium, vigilias et labores, quibus in re publica tamquam
nostri honoris zelator⁴ pervigil non desinit insudare,
nostram gratiam et favorem sibi tam plene meruerit
vendicare, quod ad promovendum eundem rationis et equi-
tatis instinctu curas nostras ubilibet convertere nos de-
lectat, pro ipso tibi preces nostras primarias, que iuris et
approbate consuetudinis fulciuntur tramite⁵ et apud non-

1) Die Hs. hat 'servitutis'. 2) Eb. 'degentis'. 3) Eb. 'imitamur'.
4) Eb. 'zelato'. 5) Dieselbe Formulierung finde ich in den ersten Bitten
Rudolfs I. an Minfeld von 1274 (MG. Constitut. III, 35, n. 37), der
Summa curie regis n. 218 (Stobbe S. 354) und der Summa de literis
missilibus des Peter von Hall n. 121 (ed. Firnhaber, Fontes rerum
Austriacarum, 2. Abt. VI, 73): 'preces nostras (primarias), que iuris et
(approbate) consuetudinis tramite fulciuntur'.